

*Doc. 23 (Scriptum est Bertaldo
Burdonno vallecto familiari et
fidei etc. De fide prudentia...)*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali

sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Doc. 23 (Scriptum est Bertaldo
Burdonno vallecto familiari et
fidei etc. De fide prudentia...)*

1280-04-10

Scriptum est Bertaldo Burdono vallecto familiari et fideli etc.

De fide prudentia et legalitate tua confisi tibi custodiam palatii ac defensarum et forestarum Lacuspensilis mortuo nuper Petro Gidio fratre tuo qui custodiam ipsam de mandato nostro gerebat usque ad nostrum beneplacitum duxerimus committendam. Quocirca fidelitati tue precipimus quatenus statim receptis presentibus ad partes ipsas te personaliter conferens, palacium ipsum cum defensis et forestis eisdem ad honorem et fidelitatem nostram diligenter et fideliter studeas custodire quod nulla in defensis et forestis ipsis dapna per aliquos modo aliquo inferantur et proventus earum iuxta subscriptum statutum curie nostre integre percipias fideliter conservandos, factis de omnibus que tempore quo custodiam ipsam gesseris ex proventibus ipsis perceperis quaternis debitis continentibus quantitatem et qualitatem totam pecunie victualium animalium et aliarum rerum quarumlibet quos et que receperis nomina et cognomina a quibus ipsa perceperis ob quam causam et tempus eciam perceptionis particulariter et distincte, quorum uno tibi retento alium magistris rationalibus magne curie nostre singulis tribus mensibus destinabis et in fine cuiuslibet trimestris temporis compareas coram Johanne de Rivello magistro defensarum nostrarum fideli nostro positurus de predictis omnibus finalem et debitam rationem et satisfactorius de omnibus in quibus debitor apparebis, super quibus defensis custodiendis subscriptum statutum quod servari consuevit et servatur de mandato nostro per alios custodes defensarum et forestarum nostrarum tuo tempore tue custodie inviolabiliter debeas observare,

quod statutum tale est videlicet quod defensas et forestas ipsas diligenter et fideliter studeas et facias custodiri et quod publice inhiibeas et facias eiam inhiberi quod nulli in defensis et forestis ipsis versari aut venari ad forciam vel ingenium absque licentia nostra quoquomodo presumant. Item quod nullus audeat incidere vel incidi facere in defensis et forestis ipsis sine licentia curie ligna vel lignamina viridia seu sicca. Item quod nullus audeat immictere in forestis ipsis defensis animalia domita vel indomita cum campanis vel sine campanis sine licentia curie pro sumendis pascuis vel glandibus seu qualibet alia occasione et si intercipi contigerit homines et animalia ipsa in forestis seu defensis ipsis contra prohibitionem eandem exigatur ab eis nomine pone pro qualibet vice quantitas pecunie infrascripta videlicet, pro quolibet bove vel vacca tarenus auri unus, item pro quolibet equo vel iumento tarenus auri duo, item pro quolibet asino vel asina tarenus auri duo, item pro qualibet ove vel capra grana auri duo, item pro quolibet porco vel scrofa grana auri quatuor, item pro quolibet bubulo vel bubula tarenus auri unus, item pro quolibet animali quod intercipitur cum campana tarenus auri septem et medius, item pro quolibet homine vel muliere qui intercipitur in defensa ad coligendum glandes tarenus auri duo, item quando aliquis intercipietur in defensis venando capiatur et puniatur pro arbitrio regio et si capi non poterit significetur per te nomen et cognomen eius, item pro quolibet homine qui intercipietur in defensa incidendo ligna viridia tarenus auri septem et medius et si sicca fuerint tarenus auri tres et grana quindecim. In affidandis vero animalibus circa defensam non servatur certa forma sicut potes melius componere et concordare cum patronis volentibus

affidavi iuxta quantitatem et qualitatem animalium affidandorum pro curie melioratione componas. Item inhibeas expresse et facias publice inhiberi quod nullus cuiuscumque condicionis existat tribus mensibus anni videlicet mensis aprilis, mai et iunii extra defensas seu forestas predictas eciam venari presumant ad capriolas cervicallos et daynellos quando cumque vero aliquis invenietur ipso tempore contra inhibitionem eandem venando si Baro fuerit vel miles qualibet vice solvat curie pro pena uncias auri viginti quatuor si burgensis uncias sedecim, si villanus uncias octo et si non poterit eas solvere arestetur et detineatur in carcere per annum unum. Item si infra ipsum trimestre tempus aliquis inveniatur vendere pelles caprioli, cervalli et daynelli solvat curie pro pena unciam auri unam nisi ostenderit venditorem a quo pellem ipsam emerit, tunc enim ille qui pellem sibi vendiderit ipsam unciam auri unam solvero curie teneatur et emptor liberabitur a pena. Item si aliquis cuiuscumque condicionis existat inventus fuerit vendere vel vendi facere in macello vel alibi carnes silvestres, porcinas, carnes cervorum seu cervarum capriorum capriolarum daynorum et daynarum contra inhibitionem super hoc de mandato curie hactenus facto per iustitiarium a quolibet eorum uncie auri quatuor pene nomine sicut inhibitio ipsa continet pro parte curio vico qualibet exigantur, et quia te in officio ipso expensis propriis nolumus laborare placet nobis ut dum custodiam ipsam de mandato nostro gesseris expensas tibi retineas pro te duobus equis quos continue tecum retineas ad rationem de tarenis auri duobus ponderis generalis per diem de proventibus supradictis et pro tempore quo custodiam ipsam gesseris massariam aliquam habere non debeas animalium seu capriorum non tamen intentionis

nostro est quod occasione ponende rationis predio te a
custodia predicta recedas

Datum aput Turrim sancti Herasmi X aprilis VIII
indictionis (1280).